Georgius Albracht

Episcopus Cracoviensis

Fratrum Ord. S. Pauli primi Eremitae: Character Pontificius.


CHARACTER
PONTIFICIUS
Ori Spiraculum dedit
Frontem Prima sacravit
Utrumq coronat
7.

CHARACTER PONTIFICIVS.

Celsissimi ac Illustrissimi S. R. I. PRINCIPIS

GEORGII ALBRACHTI COMITIS DENHOFF,

EPISCOPI CRACOV: DVCIS SEVERIÆ, ARCHICANCELLARII REGNI,

indelebiliter

Sepulchralibus Divi STANISLAI conspersus cineribus:

& Digito;

quem sacrilegus olim stagnanti elemento immerserat Piscis,

In Rupellano Silice

REIMPRESSVS,

ac

è voto Theologici Studij Rupellani Fratrum Ord. S. PAVLI Primi Eremitæ

in Solenni ad Cathedram Cracoviensem ingressu

Publicæ applaudentium lectioni

EXPOSITVS.

Anno

Impressi in membrana Uteri Virginalis, Increati VERBI

1701. Die 9. Octobr.

CRACOVIÆ,

Ex Officina Francisci Cezary, S. R. M. Illustriss. ac Reverendiss. Dñi Episcopi Cracov. Ducis Severiæ; necnon Scholarum Novoduorscianarum Ordinarij Typographi.

Ductus per omnes dignitatum Characteres, meritusque plures quàm gerens.

Tarquinius Gallutius.

Vnum hoc pro cunctis sat erat Caput.

Silvius.

PRINCEPS CELSISSIME.

INjuriosum esset, pretiosas animi Tui dotes PRINCEPS CELSISSIME stylo (ut quondam in votis habuit monosyllabus patientiæ Princeps) notare ferreo. Indecorum chrysologicam eloquij Tui emphasim in plumbi notare lamina. Mechanicum, si scalpri ictibus & tunsione plurimâ vel celte, Senatoria Vocis Pontificiæ Oracula sculpantur in Silice. Sacrilegum, si Exodum Honoris Sacri profana explanare vel commentatorem agere præsumeret manus. Ambidexter STANISLAUS, Prædecessor Tuus, pennam Aquilæ arripit, nedùm, ut cinericiam everrat & expurget de manu sua mortalitatis corruptelam, verùm ut Canonico sui Corporis digito Sacrum Characteris Tui opus reimprimat. At Aquilinum quisquis in laudes Præsuleas conspicis excurrere Calamum,

 inso-

insolitum mirare naturæ cursum, ex Aquila hodiè alaudam esse: quis quæso clariùs in lucem proderet & Tui Judicij æquitatem, nonnè Aquila? quam in Tuo Areopago ceris diplomatum impressisti. Judicia DEI abyssus multa, judicia Tua miserationum pelagus non alio debuit metiri digito, quàm qui squammoso olim navigio, stagnantis aquæ profundum est emensus centrum: jejuno etsi ali videtur cibo, à Tuo tamen non abstinebit Gloriæ nutrimento. Captivus ad aquatiles Antipodas hic Paternæ dexteræ digitus Te Judicem appellat, nec alio libertatus petit donari favore, quàm ad Tuarum concatenatarum Virtutum exprimenda alligari Symbola. Miraculosas intrare priùs debuit Thermas hæc Sacri Corporis portio; nè virus ab Audaci membratim transfusũ nervo in Elogiacum influeret calamum: vel Sacro eluitur Fonte; nè loco triumphalis Celeusmatis sanguineas vindiciarum inserat nænias: sed procul à Nostra manu hæc passio! ubi Actionum Heroicarum Principis Celsissimi *non Forense, sed in conclavi animorum applaudentium agitatur judicium, de quo in omnium ore non murmur resonat, non querimonia, sed corde impavido fateri coguntur causas in longum non distulisse, ut potè cuiq; intimo vicinus affectu. nec unquàm auri ponderibus ad æquitatis lancem indigebat, qui gravis Virtute extitit. Lancem justitiæ non alio à Polona Themide acceptavit intuitu, nisi ut ad æqualitatem Majorum crescere posset. Sed quid agis calame? Justinianum in serena fronte* ALBRACHTI *adumbras, quem innata justi & æqui probitas in tota expressit hypostasi: proprium enim est Personalitati Celsissimæ non tantùm Regiam terminare humanitatem, ad manifestanda liberalitatis attributa; verùm etiam doctas eruditarum mentium assumere notiones congenitum. Parum esset Tuum jus altum allegare, nisi adæquato evincatur honore: sed quia altioris ordinis celsitudinem multifariam multisq; modis numeratâ operum Nostrorum vilitate*

tate exæquari non posse experimur, in fiscum animos Nostros Tibi reddimus. Movet currentem Calamum antehàc exanimis digitus & ad Cracoviensem Principis Nostri *Infulam, ut undè mors oriebatur, indè vita vel vitalis motus in manu Scribentis resurgeret. Individuum Infulæ Comitem Ducalem Severiæ Mitram eadem claudit parenthesis: nunquàm enim solitaria incedunt magna Nomina, quibus suum & Virtus & Fortuna assignant satellitium. Nobile par titulorum obtinere debuit, qui in gloria parem sibi vix inveniebat: nec Principem factum unus honor antecedere, qui multorum post se corda traxit. Hìc hæret calamus, ubi ex Sacri Romani Imperij Cathedra ad* Denhoffianum Caput *facit Apostrophen Mitra:* Perge triumphales Romæ facturus Honores; Orbis Famam, Roma dabit Titulum, Astra Coronam. *Stupet & manus calami, ubi veloci Romanum involat diadema passu:* Hoc Caput æthereâ Superi præcingite lauru, quo duce libera sum, quo grandia Præside Regna, possideo. *Silet calamus Scribæ velociter scribentis, ubi Senatûs Populiq; Romani vota hanc formant Apodosim:* Perge Pater, Te Roma petit, Te Curia poscit. Cum quo lux Patriæ, Gloria, Fama venit. *Oblivioni detur dextera mea, si non meminero & Camenecensis Gemmæ, quæ ut hostilem evaderet raptum, captivam se Tuis obtulit manibus. O quantus* Præsulis Nostri *ascensus! Camenecensem gradum vel lapideum priùs transcendit limen, antequàm in Sancta Sanctorum ingrediatur receptacula. Non in ænigmate Præmysliensis & hìc notatur Tiara, ubi facie ad faciem clara pro Ecclesia Facta claros ei fecère Cœli amicos. Digna recapitulatione & Majorum Tuorum Capita, quæ arithmetico calculo non tàm recensere, quàm adorare præstat; nè per subtractionem magni Nominis injurius Orator fiat: inter spem*

Varro. Isocrates. Fulgosius.

tamen

tamen & metum aude calame, qui mortuos è sepulchris in lucem afferre assuevisti. Sed non hic criticus obtrectet laconismus: Turpe esse effætam titulorum jactare vetustatē, & vetustam monstrare Avorum Famam, nec vegetiorem mereri, *nam* Principem Nostrum *supra primum Antenatorum Meritorum principium; augmentum gratiæ viribus propriis frequentati Rectefactorum actus meruisse probant & testantur: nec solo annorum numero innumeras Meritorum lucrari cæpit decades: quippè adulta fuit illius infantia gemmæ, quæ adhuc inclusa Conchæ, & jam suum pretium habet. Mappis alij quasi infantilibus Fasciis suas involvunt antiquitates, vel ut molliùs cubent, vel nè quàm in vetusta gravitate levitatem ostendant; Fastis alij amplissimam Principum coarctant majestatem, & eam suis includunt marginibus, cui patritij etiam non sufficiunt limites; Alij obliviosis hominum reminiscentiis suas confidunt aut confundunt species: at juratus in suas laudes* Divi STANISLAI *digitus suam cordibus Subditorum inscribit clementiam, ut eam qui audiunt, Posteritati ex corde narrent; & qui vident admirentur; quanquàm non capitur illa populari aurâ, nec festivas voces æstimat, quibus nihil, præter sonum inanem inest & personatum murmur. Inscribit indelebilem Pontificij Ordinis Characterem, & Rupellano Lapidi, quem sacræ Tui Calcanei dum subijcimus censuræ; Lapis hic de pariete clamabit: Ad Perpetuam rei memoriam, semper esse.*

CELSITVDINI TVÆ

Devinctissimum

Studium Rupellanum.



Inter

ludicra Sæculorum ſpectacula,
novum ſub Sole illuxit Sarmatico;
cùm,
ad auguſtam Tuæ Inaugurationis pompam,
ſepulta reviviſcat Antiquitas:

PRINCEPS CELSISSIME.

Thaumaturgum eſt Honoris faſtigium,
quia *Szczepanovii*;
ad quod funerati è ſuis ruderibus,
Oratorij concipiuntur Phænices;
Acſi,
trabeati Faſces,
ignitæ ſint faces Promethei,

quæ vitam accendunt.
Quanquàm,
oportuit renaſci Hectores Palladios:
alioquin ſubtilem *Pontificium Characterem*,
in ſenili ruga hebetatâ pupillâ,
penetrare non poſſent;
ni ad meliorem Iuvenaliũ reducerentur orbitam:
indè Feliciores;
quòd obſoleto Iovis cerebro,
Fæcundum PRÆSVLIS repererint Caput;
ex quo iterum valeant reſilire.
quippè;
Aureus hic Character eſt,
Sacram Divorum Numinũ compilavit Geneſim,
interlinealem tamen non admittit Gloſſam,
quia per ſe clarus.
Indelebilis qualitatis ſortitur Nomen,
in quo tot laborárunt ætates,
ut proponant.
è Syllabo Maiorum ſuorum,
non ſyllabis coaleſcit,
quos, proh dolor
vix implacabilis ſuſtuliſſet Nemæſis!
ſi ante fatales exuvias,
hoc, in fronte ſignarentur.
Sed,
vindicat ſeras mortis pœnas,
inferioris penna Thebaidæ,
dum in publicum *Præſulei plauſus* Amphitheatrum,
Sacros Antenatorum reproducit Manes,

eò

eò Fortunatos;
quòd Iubileo, ceu Iubilo Pontificiæ pompæ,
fuerint reſervati.
Et certè,
ad Characteriſticum hoc Sacramentum,
Nobilium ſpectat Turba Quiritum,
quos ſatis per ſe vocales;
ne acephala obliviſceretur poſteritas,
in Silice pariter reimprimuntur,
ut perennent.
Et primò,
ANTISTES REVERENDISSIME!
à Capite exordiuntur Anteſignani Tui & Ceræ;
quibus Illuſtriſſimi redderentur: *Origo Domûs Denhoffianæ.*
Cæſar à cædendo, à non cedendo Dinaſta
Hiſpaniæ, Arragoniæ, Portugaliæ, Caſtiliæ,
Inviċtiſſimus;
in Apri reciſo Vertice accendit:
Magnanimus factorum exantlator.
Veronæ & Exercituum Corpus exanime,
ſuſpectare dedignabatur:
quid ageret?
ut iterum pugnare invaleſcerent,
à trunco, quam acceperat,
animam dedit & ſanguinem.
Heroum ſancitur portione Gloriæ trophæa ſuſcitare;
ac proinde extaſim non effugit;
dum in ejusdem fomento
Victoriam extinxit in Victoria.

 Cata-

Cataphractorum metatus aream,
aleam iecit cruentam;
fortitudinis nihilominùs ſorte,
quia Conſortem eluſit Bellonam;
cum qua laureato tripudiando veſtigio,
è ſolo ad Solium, & diademata inceſſit.
Magnâ Gloriâ, maiore Iubilo,
Clara Acclamantium concomitantur vota,
vocalia tamen non fuiſſent;
niſi Denhoffium pro voto haberent Caput:
quod,
& inimico Tyrannorum adoraretur poplite,
& ſuâ cultûs non careret ſubmiſſione, addiderat.
Et benè eſt:
Meliùs ſua latria non potuit creſcere,
quàm ſi quando Subditorũ dignitatẽ adaugebat:
defactò hæc adunatam non dividit,
quin diviſam Popularitatem
unius eſſe Capitis exhibuerit;
in quo ſuum, & *Denhoffii* appretiaret favorem,
quatuor Regnorum Coronas repoſuit.

Regum Coronis inſignit.

Nec immeritò:
Delicium hinc præſens redimire debebat,
Et vel ideò in multiplicitate Stephanomatum,
necnon
in exceſſu quoq; Hilariorum & Triumphi
cum Hiſpania, Arragonia, Portugalia, Caſtilia,
in Majeſtate Tua,
PRINCEPS GEORGI ALBRACHTE!
à pri

à primordio ſtetit Sereniſſimus
Tænijs probè æſtimavit ornandum,
ad quas,
ſi tantùm Europa, Senatusq; Populus confluxiſſet;
Maximus Atlas
Avus æternum, qui fert Cervicibus Axem,
Jupiter alter Avus: NICOLAVS,
& ANSELMVS,
Primò Lucenſis Antiſtes antè, pòſt vocatus
ALEXANDER:
Nominibus, & Sacro Secundi Imperio;
uterq; *Denhoffij* Supremi Pontifices:
Orbem univerſum,
Franconum Ducum nexu vinxerunt ſanguinis,
quem Tibi Corculo ſuo,
pompæ in Præſtites Honoratos mancipando,
loco ſecundi conſiſtunt.
Iactarent Tarpejæ Arces,
ſoli Capitolio irrevulſum Terrarum adſtringi Globum,
ſed incaſsùm;
hic certè cum Divis Patribus
in Vavello eſt,
qui & divelli debuit,
dum è Natali Climate,
per Fidelem *Meinhardi* Provinciam;
ad Sedem, & hunc Actum,
Majorum Metaphorâ ſcindebatur.
Absq; vitio iſthæc expedita translatio,
quin fuiſſet cum virtute:
adverſo nonniſi iniqua Gradivo;

Maximis Pontificibus clara.

Ex Franconia in Livoniam transfertur.

B

quod

quod OTTO & uterinus ſuus THEODORVS:
Derpatenſis ille, iſte Vendenſis,
Palatini:
poſt Livoniæ cum Lechico Cive percuſſum fœdus,
ubi ex eorum viſceribus,
importunos pacis Crucigeros eliminarint;
ſeſe adamantinis Coloſſis,
ad Famam PRINCIPIS,
Statores, Servatoresq; Patriæ radicárunt.
Spectârunt illos Poli Exotici, & omnes *Denhoffios*,
quos modò in Septizonio Præſulis,
Conſos ſtupuêre Mavortesquè;

ibidem magnis fulget honoribus.

præſertim:
quando HENRICVS Dinemburgenſis Capitaneus,
Antheus demonſtratur;
attactu telluris ſemel ita ſurrexit,
ut nunquam caderet.
Credita tunc ruitura fulciri Polonia,
& vel ideò ſtare debuerat,
nè illa collaberetur.
Quanquam funeſti nihil eventum foret,
ſiquidem ERNESTVS Palatinus Parnavienſis,
multotiês ignotis Legatus notus Gentibus;
inter Libertatis Volucrem & Leonem Sueciæ,
cum CAROLO SVDERMANO,
iras, & reboantia belli fulmina pellendo,
nè quidquam Orientalium Mimantum,
contra ſuum Cœlum ambitio præſumeret;
Tribunus Militum,
Atlantem egit & Victorem.
Strenuus mehercule propugnator;

Erneſtus Palatinus Parnavienſis ad diverſos Principes Legatione fungitur.

ſtylum

ſtylum ferreum Idumeæ hebetando, ſuum acuit.
Virtutem haud alicuipiam,
quàm Poſteritati didiciſſe relinquendo:
quòd, & poſt charam Sobolem,
FRIDERICVM Subdapiferũ M. D. Litvaniæ,
Ducem Pruſſiæ & Exercitûs,
è Chriſtianis Finibus,
ERNESTVS Caſtellanus Vilnenſis,
Caſtrorum Germanicorum Generaliſſimus,
perduelles animas & ſectarios,
noverit proſcribere.
ut æternitati Nomen inſcriberet,
hoſtilitatem eraſit;
Legunt dexteritatem, & ſciunt Sæcula,
eam obliterare unquàm poterunt;
dum HERMANNVS Turmarum Ductor,
in ſe illam, & Succeſſoribus ſervando expreſſit.

Hermannus Turmarum Ductor elogio á Zołkievio honoratur.

Verè Vir fortis, pignus Martis:
nec aliter ab Imperatore ſuo *Zołkievio* nuncuparetur,
quàm Fortes Tauricæ proſterneret.
Effectum eſt, ſed non concluſum:
ad aciem etiam Ductor Legionum inſtructus,
GERARDVS Capitaneus Koſcierenſis,
Mariæburgenſis Adminiſtrator Throni;
in qua ſtaret potiùs ſolidior, & non lubricitaret,
KONIECPOLSCIORVM Soleis inceſſit armatus:
quinimò:
Offam Aziatico portavit Struthioni,
nec ita inexplebilem;
quin cruentâ ſuâ non ſatiaretur ingluvie,
quoties glutire Soleas attentabat.

Portendat igitur Gentilitius Barbaris lethum Bolus;
in Scythiæ fato ſaluber eſt:
quamobrem, GASPARO Palatino Seradienſi,
cum Illuſtriſſima ALEXANDRA KONIECPOLSKA;
in Auguſtæ Præfectura,
ad Coniugalem vitam conduxit.
Phænix hic ſanè noſtræ Arabiæ!
favillam livoris non habet, cùm poſſit.

In Regum

SIGISMVNDI III. & VLADISLAI IV.
amore conflagrabat;
tamen ut iterum renaſceretur:
Dinaſtæ ſuo,
pro CÆCILIA RENATA,
Ablegatum eſſe oportuerat.
nihilominùs cum Honoris incremento.
quia à Romanorum Imperatore

Gaſpar Palatinus Seradienſis pro ſe ſuisq; Succeſſoribus S. R. I. titulũ conſequitur.

FERDINANDO III.

Principatum Sacri Romani Imperij
Denhoffiorum Nepotibus ſuſcitavit.
Ingens Famæ & Laudis factor;
decus etſi habuerit, fecit.
Corroboraret idipſum
STANISLAVS Vielunenſis ac Radomſcenſis Capitaneus,
& ideò ſub Potentiſſimo Poloniarum Principe,

VLADISLAO IV.

Leonis Hetruſci Draconisq; Moſchorum,
robur perfringere debuerat.

Stanislaus Capitaneus Vielunenſis &c. ſub Vladislao IV. contra Suecos & Moſchos ſtrenuè decertat.

Exactum

Exactum est.
Res & Triumphus in actu:
undè senserunt Alcidam Feræ; & ferre;
nisi ipse contentus fuisset.
scilicet:
Fortis animus in arduis difficultatem non formidat;
& cùm magna vicerit,
maxima queq; sibi, pro voto subijcit militare.
Sago superindutus Castrensi;
quo magìs majestuosus incederet,
Togam sumpsisse decebat.
At ô Cœlites!
Constitit hic bellum, fortunaq; STANISLAI *hæsit:*
ad Comitia Generalia
Terræ Vielunensis Nuntius tendens Varsaviam;
quæ in illis futura forent; prænosceret,
ad Deorum Senatum migravit exploraturus.

Varsaviam ad Comitia Generalia Nuntius deá legatur.

Intimus perbellè Protector Patriæ;
tanto Cive orbata, nè anxiaretur;
consolatorem in solamen impartiens;
SIGISMVNDVM VICTOREM Succamerariũ Vielunensẽ,
Filium;
Os de Ossibus relinquit.
Clara Propago è Claro Parente.
tenebras odit & moram:
Natale solum,
Natus extemplò lustrare & illustrare;
ac proindè:
ut acutiùs visum exacueret,
ad Orbis Lumina:

Sigismundus Victor Succamerarius Vielunensis ad Leopoldum I. Rom. Imp. & ad Innocentiũ XI. Legatus eligitur.

Romanorum Imperatorem LEOPOLDVM I.
Viennam; & ſupra Iuga Quirini,
ad INNOCENTIVM XI.
Legatus
è Volucrum RADIVILIARVM Nido provolavit.
quippè:
Nec imbellem feroces
progenerant Aquilæ Columbam.
Ex ANNA Ducissa RADIVILIA,
DVCVM:
Illuſtriſs. ALEXANDRI Mareſchalci M. D. L.
& MICHAELIS M. itidem D. L. ViceCancellarij
Sorore;
puerperio exportatus,
Aquila prodijt,
quæ quàm Genuina eſſet;
in Principum munijs,
ad jubar Auguſtorum Titanum probabatur.
Non impar omninò:
qualem ad Regni Negotia naſci neceſſum erat,
inter Avita Matris Arma fuit.
Ter Nationum Reviſor;
quò pluris tamen honos appretiaretur unionis,
numero pari:
Vielunenſis Nuntij Terreſtris,
impellebatur fungi Provinciâ.
Decorum hic Gloriâ ætates attonuit:
ſtupent illæ;
ſed dum admiratione tenentur.

SIGIS-

SIGISMVNDVS
Bydgostensis, Sokalensis, Bolesłaviensis,
Bohusłaviensis, Laiscensis,
Capitaneus;
easdem ad usq; extasim;
quia ad suam virtutem resolvit.
Et æquum est:
enimverò tantùm egit,
quantùm si Sæcula quidquam adijcere possent,
non haberent, quid vellent.
Ipse duntaxat immortalitati adsciscendus,
Deos appropinquavit;
qui, si Incisoris non corrumperentur obsonio,
Sacrum Numen,
ex Officio Sacræ Reginalis Majestatis,
intrare conveniebat.
Heroam hic pennam habet,
sub IOANNE CASIMIRO;
Aureæ Libertatis Monarcha.
quâ:
Trans Noricorum culmina montium,
Trans Hæmum, Carpatumq́, Thracemq́,
Trans Thetidis vada Gaditanæ,
volitare non exambivit, cùm ferri potuisset.
Satiùs;
ut Superum more progrederetur Essedo;
Cataphractis, & Germanorum, Cohortibus;
nummorum:
obrizo distinctas argentoq; rotas applicuit.
Vehitur illis honorandus Gestorum Actor;

Sigismundus Capitaneus Bydgostensis, Sokalensis &c. sub Ioanne Casimiro Vsariorum & Germanorũ cohortes suo ære auctorat.

 & simul

pro Rege & Rep. Hano Tartarorum se obsidem offert.

& simul sub Zorawno,
in Minotaurum Chersonesi HANVM invehitur.
Alter Theseus;
mirum sancivit Emirum:
Si quacunq; hora Regni comederet Pomum,
OSSOLINIORVM Asciâ perimeretur.
TERESSIÆ haecce Securis metuenda sanguine,
ut etiam ferociente gauderet naturâ;
in SIGISMVNDI stringebatur transformari Arma:
quibus:
Thracia nè mala, sibi sumpsisset mala;
CAROLVS Venator Seradiensis
rigidiùs custodivit.
Solers Integritatis Argus:
sub SVSA & MONTECVCVLI,
Imperatorij Exercitûs,
Fortissimis suis Ducibus:
qualiter Commodo Libertatis incumberet;
ab Austriæ bicipiti Alite excubias edoctus.
Probum est & non probrum,
verùmtamen:
pulchriùs pectus opponere pro charis Thebis,
quàm invigilare duxit:
atq; ideò;

Carolus, Venator Seradiensis, adversùs Turcas bellator eximius.

contra Gigantes Bizantij victrices levavit palmas,
non sinè Religionis fervore:
nam ut Erebo eripuisset animas,
incircumcisos Ottomanorum circumcidit.
Non dubium hinc Numina solari & Patriam,
quæ, nè famem pateretur prædæ,
Propontidis Belluas venabatur.

For-

Fortunatus profectò Actæon:
vitæ licèt in periculis, & absq; dispendio,
Turcicam ex quo vidit Heccaten, cæpit.
Hunc:
Liberator Boni Publici quondam & sui,
suavis suus Genitor;
Pro Aris & Sceptris,
unâ cum Illustrissimis:
STANISLAO,
& FRANCISCO BOGUSLAO,
cùm illos Bases obtulerit Basilicis,
& vindicatores Regno:
Te quoq; dulcem Natum suum,
PRINCEPS CELSISSIME!
malum propulsare Infidelitatis,
Cherubim collocavit.

D   Et



Et jam,

ab Auguſtis Aboriginum mappis,
Honoris Tui ducuntur lineamenta:
PRINCEPS CELSISSIME.
Sufficiens univerſalium decorum enumeratio,
particularem in Te parilis Eminentiæ claudit majeſtatem,
nimirùm probrum eſt;
Solo patritio ſanguine verecundari purpuras,
& mercari encomia;
ni uniones inæquivalens pretium ſua virtus apponat.
Fruſtrà Natales adſtruuntur Ceræ,
ſi in ſe non ardeant, ſed fumigent.
imò piaculum eſt;
illuſtres Honorum jactare colonias,

ſi ec-

ſi ecclipſent in factis.
verùm:
hanc criſim glorioſo ſubſultu,
Denhoffius tranſilit *Aper*;
non ita maximam Majorum Iliadem recitat,
quin illuſtret;
& è frigidis Mauſoleorum cineribus,
non vitream immortalis Famæ conflet vitam.
Cecidit à frondoſa Conſanguinitatis ſtirpe,
Malus, ſed non malus;
quia Lechico in Malum ceſſurus Liburno.
imò:
Aureum extra Delphos maturuit pomum;
de quo jurgium foret in Deaſtro Gloriæ,
cui deberetur;
niſi omnibus ſufficeret unus.
planè:
conformis eſt penicillo Apellis virtus,
novit è coccino Avorum, & coloribus,
talem in Poſteris effigiare imaginem;
quam ſtupeat Orbis;
& latriæ cultu,
ſinè ſuperſtitione adorent Sæcula.
Reges, ſi antiquior ſuſpexit ætas:
hìc par Sceptro virtus,
regias pridem repoſuit Cyclades,
dum non minùs eſt mereri, quàm habere.
Et cùm Soli affine ſit Solium:
in hoc jucundiores quaſdam reliquit Parelias,
in quibus refracti Antenatorum Honores;
vel à teneris ſtatim ad amuſſim conſpiciantur.

nempè:
habet Lucina Lucios;
& quis ſit in meridie,
è diluculo orientis vitæ agnoſcitur.
Benè Faſces capiunt, & Faſtos implent;
ſi à puerilibus incipiant grandeſcere faſcijs:
Genethlia Celſiſsimi Principis. PRINCIPIS Noſtri Cunæ, cunei ſunt.
Noſſet in crepundijs Alcides,
geminos elidere angues;
niſi ità ſibi Numina Faſcijs devinciat,
ut nulla Iuno dexteritatem probare præſumeret,
quam ſuppoſuit.
At ſiſte Calame!
Iuvenem pingis Aſcanium;
& iam Catonem moribus, vel Honorium,
exponere debuiſti.
Illuſtriſſimis Auguſta Soboles prognata Ceris:
SIGISMVNDO DENHOFF,
Bydgoſtenſi, Sokalenſi &c. Capitaneo.
& THERESSIA ANNA OSSOLINIA;
Comitiſſa in Tęczyn.
Paternarum ex aſse Hæres virtutum,
ita omnem animi imbibit Symmetriam;
ut toties invincibili ignorantiâ erraret Sarmatia,
Filium pro Patre adorando.
Paucis noverca conceſſit Felicitas,
naſci Gigantes.
antequàm diem Honoris accendat,
priùs in poſtibus illachrymatur Galbæ.
Hic ante ortum Illuſtriſſimus;
in

in Byſſo & Purpura notus,
& non natus;
cui OSSOLINIA Quirinales prætulit Aſcias.
Pariat Olympia Fulmen, dum Macedonem,
Octavia Solem, dum Auguſtum,
OSSOLINIA Salem peperit;
ANNA Gratiam:
quo & inſulſi ac immorigeri Orbis,
meliorentur mores,
& probi faventibus demulceantur Æthesijs.
Salacem Thyeſtem nemo dixerit;
benè conditus eſt;
cujus etiam ſales non ſinè ſale.
ita eſt:
non expectat virtutis candor niveam ſenectutis albedinem,
in nutricis lacte lacteam viam explicat,
quâ ignota Viri in adoleſcentia ſemita,
dubio Salomoni extricetur.
Olympiades non præſtolatur annorum,
quem Nativa indoles Olympia Famæ,
tenero docet emetiri calcaneo.
Ac in vernante Iuventæ Aprili
Auguſtales Gloriæ colligere meſſes.
Non fruſtrà etenim:
Denhoffiana Domus,
Oleſnicias ſibi adſtipulavit *Roſas*,
quàm, ut verecundum Honoris ſibi vernaret Purpuriſſum:
& extra Prothei fabulam verum ſit;
quidquid calcaverit Roſa fiat.
Veſci roſis Auroram,
ut pulchro Solem præcedat amictu,

 com-

commentum eſt:
Nativo Familia hæc innutrita Roſeto;
Purpureo Patriæ, provehit axe diem.
Acerrimo Honoris MARIANI Zelotæ,
hoc præludit Roſarium;
ex quo ſugat Scarabæus venenum,
medelam in Cordolio Eccleſia.
Quid memorem diaphanum *Danilowiciorum* Sidus?
Feliciſſima ſanè hæc Conſtellatio,
in PRINCIPIS Genethlia influens;
nihil non Cœleſte potuit indicare.
Raperetur hìc in exſtaticam admirationem
Apocalypticus Genius;
ſi non Viraginem ſed Virum,
Lunâ ac Stellis viderit coronatum.
Pavete Delubra Deorum!
Luminare Novum creatur in ALBRACHTO;
ut Hæreticorum præſit Cimmerijs:
& profana obverſo cornu,
in metamorphoſim arietet Fana.
Stellæ hæ Pleiadæ ſunt,
non aliam tamen præſagiunt tempeſtatem;
niſi quâ:
Grandinet gemmis,
riguoq; Cœlum depluat auro.
Erratica non ſunt ſidera,
ita ſuæ ſphæram activitatis amant,
ut moveri ignorent ad ſuæ lucis augmentum:
niſi ad inferiorum Aſtrorum influxum;
quia:
Diviſum Cœlum cum Jove PRÆSVL habet.

Auguſto

Augusto tamen Nomini & Numini,
angusta Lucinæ videbantur triclinia,
violenter arctari debuisset;
nisi in Tritoniæ Minervæ signo,
suum fixisset Solstitium.

Studia tractat.

Benè est:
id unicum *Denhoffio* defuerat *Apro*,
ut post delicata obsonia,
aureis de ligno Scientiæ vescens glandinibus,
æternitati nutriatur in victimam.
Habet etenim sua Symposia Pallas,
quibus immortalitatem propinet,
ipseq; Gymnasticus pulvis,
clepsydram vitæ conficere novit;
quæ fluens,
annorum fluxu non effluat.
Inter Sapientiæ adnumerandus Candidatos:
ad Paginarum candorem impalluit.
Nec unquàm securiùs,
satellitis invidiæ evitâsset fulmen,
Honoratus Tyberius;
nisi suam cæsariem,
immarcidâ Daphnide coronâsset.
Stuperet hodiè Antiquitas, si vixisset,
& insipidum censuisset Saponem,
cùm Platonis melliniam,
in ore DENHOFFII reperisset,
Delphica Memnonem induissent Oracula;
si redivivum sepulti in ignavia Orbis Periclem
è Ravensi Olympo tonantem audissent.

imò;
ipſa Societatis Pallas,
ex Gentilitio geſtiret Capite reſultare;
niſi naturalem iteratæ productionis,
noverit implicantiam.
Hinc:

Romæ Theologiæ operam navat.

Sudore nutritas Sapientiæ Adoreas,
in Meridionale transplantat Solum;
ut Solem propiùs maturè decoquantur.
Macte animo Roma!
Novam, Capitolinum Auguſtal, à PRÆSVLEO Capite,
nanciſcitur denominationem;
& vel hodiè primò
Quirinales ſecuræ Secures,
cùm poſt Gentilitias Anſerum excubias
DENHOFFIVM illas tutabitur Animal.
Revera:
grande Caſtaliæ Virgines commisêre piaculum,
quòd condignæ ſibi coronando Scientiarum Vertici,
deſint laureæ:
abſolui non poterant;
niſi ſupplices in ALBRACHTO,
ad Vaticanam Sedem veniam precarentur.
adeòque:
& ſuæ & Illius conſuluêre felicitati:
ex toto etenim laureatus ut eſſet;
in Capite Vrbis & Orbis,
ſcientificas repoſuit laureas.
Tranſit ſub Sacrum Piſcatoris Annulum,
inæſtimabile *Domûs Denhoffianæ* clenodium;
nè ſacrilego Veſani livoris violetur auſu:

vel

vel certè;
maritale cum Cœlesti Sponsa initurus consortiũ;
ad hunc solidæ Arrhabonem Fidei,
Sponsalia contrahit.
Triumphales Militans Ecclesia sperato ignes!
si hic vivacissimi Ingenij silex,
ad solidam alliserit Petram.
Et vos:
cultum duliæ apparate Sæcula;
in Theologicis vivus miraculis corruscat GEORGIVS;
dum supra naturam,
in uno mentis suæ Cœlo, geminos Soles,
Patrium nempè & Thomisticum conciliat.
Novũ Aventino Climati relinquens paradigma:
posse à Polono Polo serenari.
Quare:
lustrato extero, & illustrato Orbe,
in Patrios illabitur fines; *Redux in Patriam.*
non sinè applausu & festo:
cui anniversariam Domestici Laris,
indixit revolutionem.
Satìs opportunè:
Nam longo fortasse ferrei Sæculi labefactata decursu,
cessaret moveri Lechica Aureæ Libertatis Sphæra,
nisi nova Motrix Intelligentia,
Angelicis, Angelici Doctoris imbuta,
Dogmatibus succurrisset.
Viscerales hìc nè meminerim singultus;
quos mœsta,
pro reditu Augustæ Sobolis geminabat Sarmatia,
jamvè propè mori in longiori crederetur morâ,

F nisi

nisi singulare hoc superesset solatij,
quòd Elephantes Anni suum partum differant;
ut dignum Cedris & Altaribus,
progenerent & effundant ebur.
Factum est;
Senio confecta ætas,
inauguratum Patriæ parturivit solatium.
Sed proh dolor!
vix sperare incæpit, desperat:
Num tantam Virtutum Encyclopædiam posit taliare:
nucleo quidem Macedonico,
Iliades Homeri comprehendi certum est;
non magna Nomina,
quæ ita publica Honorum exhauriunt æraria,
ut etiam extra Orbem,
alterum Mundi inquirant Globum, & glebam:
quo colludendo Fortunæ,
Memphyticas Triumphorum eludant Pyramides,
& sua Meritorum implantent magnalia.
Verùm:
multis hæc impropria proprietas;
Vni, soli, & semper conveniens DENHOFFIO,
Prædicabile constituit.
Magnus non est,
quem insolentes Exterorum coarctant mores:
quandoq; & Sarmatæ sub alieno Sole,
molles induunt Sybaritarum animas;
quæ penes fusum in luxum profusæ,
ad muliebre colum, collum inflectunt.

Nec

Nec mirum;
cerei ſunt, facilè ad focum liqueſcunt libidinis.
Hic Adamantinus Hector,
indiſſolubili Virtutum ſolidatus nexu,
inter adverſorum, incudem & malleum,
tenax non remittit.
Nonnulli curioſo oculo Orientales perſtringunt Plagas,
ſed ijsdem vapulant & ſauciantur;
Ac,
ad Regnorum Penates,
Orthodoxam deponunt Religionem;
hic firmat,
penè;
Viator PRINCEPS CELSISSIMVS Comprehenſor eſt.
qui Chamaleontis more,
omnigenæ probitatis traxit colorem.
Placuit hæc inadulterata pietatis majeſtas,
Inclytis Regni Proceribus:
quorum itá devicit, & captivavit pectora;
ut quodammodò in ſe,
extra ſe, rapi viderentur.
Enimverò:
Magnates, magnetes ſunt,
non exanime ferrum,
ſed animos Civium attrahere norunt.
Et quidni?
Surda eſſe poterat Nominis DENHOFFIANI Fama?
quam ipſæ Scientiarum Vocales
ſtricto Virtutibus illigatæ fœdere, promulgârunt:
Literati, obliterari ignorant;

Principũ fidus Achates.

 pro

pro tumba, tubam ambiunt,
laudum ſuarum Claſsicum Poſteritati intonantem.
Poſt ſtativa Minervæ;
PRINCIPI NOSTRO,
prima ad Primatem Regni obtigit Statio,
Illuſtriſsimum FLORIANVM CZARTORICCIVM,
non ſinè myſterio;
nam ubi futurus Myſtes,
ſacro inardeſcens Veſuvio,
promovendæ latriæ langueſcit amore,
optimis FLORIANI fulcitur malis,
& ſtipatur floribus.
Quis quæſo?
pervius, ad ſumma luctaturo collis Honorum?
Sacris initiatur.
ſi trito CZARTORICCIANI Sonipedis inceſſerit calle.
Plaude libero pede Polonia!
Ottomanicis ſoluta compedibus,
ubi Sacris initiatus DENHOFFIVS,
poſt tot cruenta Primorum ſuorum,
in hoſtico Gradivi macello litata holocauſta,
incruenta pro Te ad Altare DEI adolet Sacrificia.
Bonum poſt bella pacis omen.
Si pacificas vinctis manibus PRÆSVL obtulerit Hoſtias.
Tacerem hìc inexplicabiles,
OLSZOVIORVM, TRZEBICCIORVM,
triumphatos favores;
quorum:
Candidis Tuorum Meritorum eſsedo junctis Oloribus,
Auguſto Canonicorum Cracovienſium cætui adſciſcitur.
ad Vavelli Cacumina evectus Canonicus;
ni vel ipſi ſacri TRZEBICCIANI manes,
manus è fatalibus attollant cineribus;

Exi-

Eximium funeris sui indigitando Præconem.
Quid sibi præsagiant vota?
Illustrissimi VIERZBOVII palàm est:
præficit ille Custodem GEORGIVM Posnaniensis Cathedræ;
benè conscius sub ejus tutela,
Vineam Christi in dulciores pullulaturam botros,
Colchica à draconibus custodiri pomaria,
non invideo;
quos magicâ Medeæ ope sopiri facillimum;
si Gentilitius ad Cœlestem Hespæriam,
excubârit Aper!
Quis aureum carpere Vellus molietur Iason?
Auro scribendæ & ostro,
CHRISTOPHORI ZEGOCCII Charites;
atram tamen vel ex eo non refugiunt sæpiam;
quod probrum sit;
succedaneam ignorare Posteritatem:
ità magnum esse Nomen;
ceu Numen DENHOFFIVM,
ut CHRISTI Bajuli;
supportandum, lacertis indigeret.
quippè:
Odit decumana Meritorum moles,
tenellos pusionum Artus,
quibus si Poliferi subijciantur Atlantes;
Sentiet Axis onus.
Itur à summis ad maxima.
KORIBVTCIANÆ Serenissimi MICHAELIS,
associatur Cynthiæ;
acsi ad hoc Genuina Alitis Lechicæ Pubes,
exploretur Astrum:
num Solem Sarmaticum,

Custos Posnaniensis Cathedræ inauguratur.

Ad Latus Serenissimi Michaëlis commoratur.

 in

inconnivâ possit haurire pupillâ
Reperit magni Luminis Cynosuram,
ad quam magneticam dirigeret acum,
feliciùs fortunatas Famæ Insulas,
in Honoraria OPALINIORVM Nave petiturus.
Spectabant ad purpureas ADALBERTI Rosas,
præsaga futuri Regnantis Apum Examina;
ex quarum flosculis,
Cœlestem melliniam conficiant;
dulciorem in Subditos Hyblam efflatura.
Benigniùs namq; Imperanti, submissiùs paretur.
Et certè;
quanti ponderis sint aurata rectefactorum Cimelia,
totum hoc sub rosa lateret;
nisi sacra Primatis Angelorum Themis,
arcanum in sua bilance resolvisset.
Appensum vidit in statera,
Abbas Vitovienfis à Ioanne III. præficitur.
Invictissimus IOANNES III.
Publicus rerum æstimator;
aurum auro adijcit:
Abbatiæ Vitoviensis Infulam & Annulum;
ut vel ipsi præponderet æternitati.
Ambit; totam Herculis Gaditani peripheriam,
hoc circo, cave! nè existimes.
Curriculum Fortunæ est;
in quo suum exercens hastiludium,
ad celsioris gemmas, collimet Honoris.
Vitovia Vittis præludit Pontificalibus;
quasi minor Infula,
mensura sit cæterarum:
in suspenso relinquens Orbem,
quid sperare possit, & debeat?

Post



Post lacteam Juventæ semitam,
viam publicam sinè motu Viator,
ingreditur.
CELSISSIMUS PRINCEPS.
A minore ad maius,
posse valere argumentum ostendit;
cùm Abbatiali Pedo,
decempedam sibi Gloriæ mensuraret.
Et nè:
ad speciosam Sarmatici Senatûs cespitaret Portam,
summa Sedis Apostolicæ potestas,
illicò Pontificium ei porrexit Baculum;
quem æquiùs Baculum Senectutis dixeris,

Camenecensi coronatur Infulâ.

in quo Ecclesia & Patria,
ac Antiquissima *Denhoffiorum Domus* recubuit.
Non invideo suos Africæ Scipiones,
eò firmiùs, quò Diviniùs,
Europa Nostra,
Præsuleis fulcitur Scipionibus.
Advertit sanè in eo hic Divinus Iacob aliquid Divinitatis,
& mox,
Lapidem erexit in titulum;
dum Camenecensem contulit Infulam.
Nec poterat tam carum & charum Lapidem,
vel ipsâ Ottomanicâ claudere Portâ;
quam Gentilitiæ Petri aperuêre Claves.
Lydius tamen hic fuit Lapis,
PRINCIPI NOSTRO;
in quo,
Caput ejus Aurum optimum,
ad saniora Lechici Areopagi consilia,
probavit Respublica.
Hinc & Regnum Poloniæ,
simile est Thesauro;
ex quo pro aureis Meritorum talentis,
CELSISSIMO PRINCIPI,
speciosa in unico Lapide oppignorãtur Cimelia.
Hucusq; ille nihili æstimavit Honores,
à modò (nam æquitatem amat)
cur Pontificium non æstimabit Annulum?
cui tam pretiosus adaptatur, & adoptatur Lapis.
Quippè meretur taxam Pontificius Annulus,
quo ipsa DENHOFFIO desponsatur æternitas.

Notent

Notent jam majeſtuoſa Nomina Obeliſcis Hectores,
quid indè?
glorioſiùs certè Pontifex Noſter in immortalitatis Album,
ſuum inſcribit Nomen,
quia indelebili Pontificio Charactere:
qui vel ideò ad qualitatis reducitur Genus,
quòd magìs ac magìs intenſionis Gloriæ ſuſcipiat gradus.
Experimento conſtat:
ubi in Annulari PRÆSVLIS Circulo,
ſuprema advolvitur Cancellaria Regni,
ó quàm pulchra in Coronis Gemma!
tantorum Honorum in Vno unio.
Quæ diviſa efficiunt beatos, hic unita tenet.
Verè pretioſiorem Vnionem,
nec Erithræum unquàm parturijt mare.
Ex rore margaritas legimus gigni:
Ergo & DENHOFFIO ex puriore Sudoris rore,
(quem in Publicis Curijs elicuerunt curæ)
oriri quid quæſo poterat?
præterquàm Sigillaris Vnio.
Non ità ſonuiſſet Vox Clamantis in deſerto,
Viennenſi, Strigonienſiq; &c. Campo;
IOANNES III. Poloniarum Rex,
niſi Cancellarius, Illuſtriſſimus Princeps,
Os Regium eſſet.
Herculeum namq; habent aliquid Oratores,
videlicet ut ab eorum ore,
ſuprema etiam pendeant Numina;
nec mirum:
ſiquidem inter Oratorias præſcribitur leges,
Suſpenſio.

à Sereniſſimo Ioanne III. Regni Sigillum accipit.

H *Roſas*

Roſas olim comedebant Romani;
cùm tamen nihil floridi & facundi,
præter Sylveſtres loquerentur Satyras.
Celſiſſimi Principis Suada, ut dulcior eſſet,
ad Illuſtres Aboriginum Ceras;
Regium provocavit Sigillum;
ut ex ijs Auditori Orbi facundiora eliceret mella.
Ah quàm memor gratitudinis Sigillaris Ales!
ubi in manibus quondàm educatus,
Illuſtriſsimi OSSOLINSKI, Avi ſui Cancellarij Regni,
iterùm ad nutritium convolavit Sanguinem.
Panem prandenti olìm Auguſto ſuſtulerat Aquila,
Cancellario Noſtro,
ad meridiem Gloriæ Oeconomicum contulit Penu;
ex quo ad Regiam Aſsiſtentes Menſam,
Liberi Sarmatiæ Servij,
non priùs guſtâſſent portionem Honoris;
niſi eam in papyreis mappis *Denhoffii* expoſuiſſet manus.
Videte novum Sarmatæ Periclem!
ipſa in Patrium Orbem tonantem fulmina,
quæ Lechica illi miniſtravit Volucris.
Aſsertorem Veritatis STANISLAVM,
in eo experiretur Polonia,
ſi incideret in Audaces.
Auſcultabat Antiſtitem Noſtrum Iuſtitialis ArchiCancellariæ
Themis;
nec majus in propria lance habuit pondus,
quàm ab ejus gravitate dicendi.
Certè Sarmaticus ille Areopagus mutū excluſit Demoſthenem,
qui aptior Venatorem agere quàm Iudicem,
nam ſub lingua ejus plerumq; argentei accubuêre Leones.
Non enim meliùs pro Domo ſua peroravit Cicero,

quàm

quàm DENHOFFIVS pro Iustitia.
Macedonem diceres;
qui Gordios litium nodos,
enodavit ingenij acri acumine.
Ad ejus fulminatricem Sententiam cecidit injustitia,
quia apud Iudicem Nostrum,
forum standi non habuit;
ut potè pridem infamis & bannisata.
Si etenim aliquando duntaxat, *Justitia de Cœlo prospexit*,
defactò sub Cancellario Regni DENHOFFIO,
tota in terris apparuit.
Non immeritò:
Respectus jam apud Platonem appellatur *Draco*,
quem Noster debuit sopire GEORGIVS.
Et benè est;
pulcherrimum enim si tam leve aurum,
ut auri lances non flectat.
Si tam grave ferrum, ut à recto deflectentes proterat;
Civium quippè securitas est Securis.
Et dignū hoccèCastrensibus ArchiCancellariæ inglossari Actis,
quòd ad Tribunal & Iudiciū Cancellarij Nostri,
ipsi ultrò appellarent Honores.
Aliter tamen disponentibus Superum fatis,
& patrocinantis Fortunæ suffragio;
Tutorem Eum, non Iudicem suum experti fuêre.
Sors istud effatum tulit:
Cancellarium Nostrum Iudicia interdum limitare posse,
non Senatorias Dignitatum Curules,
Vndè licèt alibi angustis se coarctaret Terminis,
Hic, nec metas rerum, nec tempora ponit.
Sed in Sphærico Pontificis Annulo, & principio & fine caret.

Evanido tantùm Hippomeni hæc Athalanta,
post præmissa Regnorum mala,
pejora pro vano cursu,
quinimò pessima quæq; elusorio intulit Sophismate.
At cum Principe Nostro aliter philosophatur;
ubi in Cathegorica Propositione Honoris pro termino ponitur,
plùs ultrà.
Ergò auspicato omine;
Militantis Ecclesiæ, Atletæ Principi Nostro,
cum trisulcis ALBRACHTI hastis,
ad Piscatoris Annulum collimandum restabat.
Obtulerat equidem non jam Magnus;
sed Maximus alter ROMÆ Macedo,
Pontificium Annulum;
non ut os suo obsignaret Ephestioni,
sed ut hâc sponsali peripheriâ apud INNOCENTIVM XII.
grandiorem sibi subarrharet Infulam.
Præmysliensi exnunc electū ex millibus Caput,
non coronavit mitrâ,
ut Polonos doceret Orator,
etiam in Gloriæ Lycæo pulchrā esse Gradationē.
Etenim festiva non sunt, quæ festina.
Decennio parturit Elephas, sed Elephantem.
Celeres partus velut sibi præreptos citò revocant fata.
Echinis mora nocet, non Virtuti,
quæ eò pulchriùs ad promontoriū laudis accedit,
si per purpureos cum Salomone luctetur ascensus.
Iamq; Præmysliensi tiarâ,
Præmysliensi Infulâ decoratur.
emeritum PRÆSVLIS premitur Caput, non opprimitur:
cujus palmare trophæum palmam æmulatur,
quæ semper magno sub pondere surgit.

Tacete

Tacete hodiè Oratores!
adorationis potiùs locus eſt,
ubi Pontificiam publico Cultui Crucem,
Sereniſsimi IOANNIS III. Gratiâ;
in DENHOFFII expoſuit pectore.
quâ Illuſtriſſimus Antiſtes,
ut Chriſtiana reſpiraret Respublica,
Ottomanicos angariavit Cyræneos.
In hoc Signo initis Conſiliјs redemit è Tartaro,
quia Tartarorum manibus,
electas ad Martis Sarmatici Cœlum Polonorum animas.
Profectò & Illuſtriſſima *Denhoffiorum* Domus,
Domus DEI;
ſupra quam Illuſtriſſimus PRÆSVL,
tam excelſas erexit Cruces.
Penè novus Divorum Patrum extra Vrbem Pantheon;
qui licèt in Regnorũ usq; veneretur Climatibus.
In Claro Monte tamen ſub Mariano titulo,
Auguſtiſsimæ Cœlorum Reginæ;
cui ſuos DENHOFFII dedicârunt Manes;
ſolennis ejus celebratur Dedicatio.
Ad extructam Deiparæ Virgini Oſsoliniâ Dolabrâ Aram,
cariorem haud poterat litare victimam,
quàm Sanguinem ſuum.
Ibi manent Illuſtriſſimi DENHOFFII Manes:
vel ideò;
nam æternitatis ingreſſuri iter, nè deficerent;
ad Nazaræam MARIÆ Menſam refici voluerunt.
Faciliùs mehercule ſcandent Sidera,
quando ad hanc Paradiſi Scalam acceſſerunt.

Secundo certè impetu ad Clarũ Montem Stadiodromũ agunt;
si enim Regnum Cœlorum vim patitur,
& violenti rapiunt illud;
ergò novam spirantes Gigantomachiã hi Diviniores Enceladi,
hoc Monte Empireum expugnant Polum.
Alij tantùm fingunt & somniant Aureos Montes;
jam verò *Denhoffiana Domus* Aureum MARIÆ Montem
in sepositis Prædecessorum habet Manibus.
Nec majus obsequium DEO præstare potuit;
quàm dùm Matrem ejus ad Clarum Montem,
in suis Illustrissimis post fata supportat Manibus.
Quid autem debuit?

Recensetur fundatio Capella ad Clarũ Montem ab Illustrissimis Denhoffijs.

& ex fundamẽtis erectæ in Claro Monte Capellæ,
DENHOFFIORVM sumptibus,
nisi muta ad MARIAM resultare Relatio.
Horum superstes Antistes Illustrissimus,
quàm intaminatam referat speciem,
videre est in Clari Montis Speculo sinè macula.
Novimus omnes,
correlativum *Celsissimi Principis* ad MARIAM respectum.
Phœbum se probavit.
nam quomodo totiès benigno aspectu,
Cœleste illud Virginis visitaret Signum,
nisi Sol Illustrissimus esset.
Et id Solem indicat,
tot in hoc Monte pretiosas Beneficiorum operari mineras;
Maiorum exemplo:
quorum dignas cultu Populi;
nam illustratas Meritorum radijs Imagines,
sinè colore & fuco in seipso depingit.

At

At licèt Soles sint Aborigines DENHOFFII;
Illos tamen,
nulla ab Illustrissimo Principe Nostro sequitur
umbra.
Tàm dives Antenatorum Sanguis & Purpura,
non habet, undè in Eo erubesceret.
quinimò
Antistes Illustrissimus Polonam imitatus Virtutem,
Maiorum Auro, addidit Aurum.
Vidit solida argumenta Rectefactorum *Celsissimi Principis*,
Cracoviense Capitolium,
& pro voto suo,
Cracoviensis Infulæ inferebat sequelam.

Celsissimo Principi Infula Cracoviensis confertur.

Attribuit CLEMENS XI. Pontifex Maximus,
digno Sarmatiæ Subjecto,
hoc Magni Prædicatum Honoris.
Depone jam Præmysliensem Infulam,
PRINCEPS CELSISSIME!
quippè dignus hâc reverentiâ à Quirinali Monte,
obvians Tibi in Vavello Honor.
Nonnunquàm ituro ad triumphalem Coronam Annibali,
præpedientes montium Alpes, liquidum emollivit virus;
Tibi Virtus ad Vavelli gradienti Coronas,
inflexit Patritios Albanorum Montes.
O quàm munificum & Gentilitium Pontificis Sidus!
quod tàm secundo aspectu,
in Tuam influxit Gloriam.
Diversimodè astra regunt homines,
at Te ANTISTES ILLVSTRISSIME,
Avitum hoc Astrum nonnisi ad Honores.

Vtcunque;
Stellas Errantes aſserunt Aſtrologi:
certè Illuſtriſſimus hic non erravit Planeta,
quando Tibi monſtraturus viam,
usq; ſupra Cracovienſem ſtetit Vavellum.
Profectò, non tantùm triumphaturo Iosúè,
ſiſtunt gradum planetæ;
nè enim triumphalem diutiùs morareris Ingreſsũ;
pro Tua Gloria,
immobiliter Pontificius ſtetit Planeta.
Accendant Bellerophontes Cyri,
ad Gloriæ trophæa fatuos ignes;
Tibi hoc Luminare Cœli ad Pompam ſufficiet.
Ergò jam aſcende ſuperiùs,
PRINCEPS CELSISSIME,
cui hoc cœleſte calcar ſtimulos addit,
Ingredere ſecurus ad Vavelli Arcem!
quam Tibi,
Gentilitij Pontificis Montes obvallant & muniũt.
Eſt præſtò in Præſidium & Cracovia,
quæ è ſuis Turribus vigilem aſſignat Cuſtodem,
armatum Militem.
Multus Honor,
à numeroſis Annorum Sæculis,
ad has ſe damnaverat Turres,
ſed totus hic cum Lechico Tibi occurrit Orbe.
Concomitatur votis & Paulina Pallas;
non enim ad Szczepanoviam Rupem,
ejus Calamus tepeſcere poterat;
cui ſi deficeret Sepia,

non

non deficeret Sanguinis Rubrum;
quò ad Populum,
festivam Ingressûs Tui denotaret Translationem.
Habuit illa & Ideam præ oculis,
Pontificium Characterem Tuum,
ex quo præsentes submissæ venerationis literas,
non immeritò debuit efformare.
Parce interim, quòd Theologico Cursu,
nesciverit condignè in Tuas currere Laudes;
Exhauriret namq; Tullius Rhetoricos Fontes;
& adhuc in Encomisandam Tuam inardesceret Gloriam.
Et cùm plures ei ad complementum Gloriæ non sufficerent Figuræ;
Sufficeret utiq; una: *Prætermissio.*
Curreret & Homerus citò,
quia innumeris Metrorum pedibus;
neq; tamen esset in Termino Laudis:
Supremo etenim Generi Tuo;
quia ex Regibus orto,
nulla Encomiorum potest competere Definitio.
Et ampla Rectefactorum magnæ Domûs materia,
omnem imperfecti operis reddit Authorem.
Nullus hucusq; in Primū Genesis Vestræ Caput,
sufficienter scripsit,
undè nec Rupellana Pallas,
ulteriùs Commentatorem agit.

26

8.

I.XIX.12.